

D F N

1604



00
17
0020

+



14
DISPUTATIO BIBLICA XXI
DE CAPITE, XXV

Geneleos, ad privatam
συζητησιμ̄ proposita,

De qua
D. O. M. A.
Præfide

SALOMONE GESNERO, S.S.
THEOLOGICÆ DOCTORE ET PRO-
fessore publico, in Academia
Vitebergensi

Pridie Cal: Aprilis Anno Christi 1599. respondet

M. SALOMON BLECHSCHMID
Curiensis Voitlandus.



VVITTEBERGAE,
Imprimebatur Typis Meißnerianis,
M. D. XCIX.



REVERENDIS ATQVE
EXCELLENTISSIMIS THEOLO-

GIS, PROFESSORIBVS ILLUSTRIS ACADEMIÆ
VVittebergensis celeberrimis

D. D. ÆGIDIO HVNNIO & D. D. LEONHARDO HVTTERO
Dominis Præceptoribus suis summæ observantiæ
cultu meritissimè suspiciendis &
colendis,

NEC NON.

REVERENDIS atq; CLARISS. VIRIS

D. D. CHRISTOPH. SCHLEVPNERO & M. SALOMONI CODOMANNO
designato Gracensis in Styriâ Ecclesie Kyttingensis in
Ecclesie Super attendenti Franconiâ Decano
longè dignissimo, fidelissimo,
FAVORI AMITINO suo

Multis nominibus devotè
honorandis

debitæ gratitudinis & observantiæ ergò
dicat & consecrat

M. Salomon Blechschmid
Curienfis Voitlandus.

XIX. G. M.

Thesis I.

RES FAMILIAE HOC CAPITE DE-
scribuntur: Vna Abrahami & Kethura: Al-
tera Ismaëlis & uxoris, quam mater Hagar ex Ae-
gypto illi dederat, Genes 21. Vers. 21: Et tertio
deniq; Yaaci & Rebecca, de quibus ordine agemus.

Quaestio prima, de causa secundarum Abrahami nuptiarum cum Kethura.

2. Mortuâ Sarâ Abraham aliam duxit uxorem no-
mine Kethuram, in quibus nuptijs primò meritò conside-
randa sunt causæ patriarcham impellentes.

3. Quatuor alioquin commemorantur gradus conjugum, Quatuor fi-
nes & gra-
qui finibus, quos illi propositos habent, distinguuntur. Alij nes & gra-
enim prolem querunt: alij libidini remedium: alij volu- dus nuptia-
ptatis fruitionem: alij deniq; opes et gloriam, quibus Bernhar- riam.
rus meritò calicem tribulationis imprecatur. Vide Luthe-
rum in 25. Gen.

4. Quod Abraham opes & gloriam non quasiuerit, ex
eo patet, quod Patriarchæ apud Deum & apud homines a-
lioquin honoratissimo & opulentissimo Genes. 21. Vers.
22. nihil amplius dignitatis vel fortunarum à muliere acce-
dere potuit: Gen: 15.

5. Neg. explende libidinis aut fugienda scortationis
ergò secundas illum nuptias parasse, è temperantia et castitate
tot annorum evidentissimum est.

6. Quare desiderium sobolis & posteritatis, inq; ea am- Abraham
plitudinis Ecclesie verum Deum recte agnoscentis & colen- quærit am-
tis, Abrahamum impulit, ut alteram duceret uxorem. plificationē
Ecclesie.
Considerabat

7. Considerabat enim divinam promissionem, quã numerosa sibi posteritas, stellarum instar, prænnunciata fuerat. Gen. 15.

8. Accesserunt procul dubio Patriarcharum Semi, Eberi, Melchisedeci, qui superstites erant, consilia, & quod senex fidelioris corporis ac valetudinis rei q̃ familiaris amplissime curã indigeret. Inprimis autem Dei instinctu id factum esse non est dubium, cujus consilia humane rationi semper stulta videntur. 1. Cor. 1.

Quæstio secunda de tempore nuptiarum Abrahami.

9. Deinde queritur, quando hæ nuptiæ sint celebratæ, num superstite Sarâ, an post eius obitum? Calvinus equidem existimat in narratione Moysis ὕστερον πρότερον esse:

Calvini opinio. 10. Idq̃ ob tres causas. Primum quod indignum fuerit Abrahami gravitate, illum jam senem & decrepitum mortuã Sarâ novam uxorem induxiss: Deinde quod Apostolus Rom. 4. V. 19. ait ipsius quoq̃ corpus, cum gignendus esset Isaac, fuisse emortuum: Deniq̃ ex supputatione ætatis, qua tum fuit Abraham, sic infert: Si postea (quã Isaac Rebeccam duxisset) uxorem accepit Abraham, quid illi in mentem venit, cum jam viduitati plures annos assuevisset?

11. Verum hæ rationes tanti momenti non sunt, ut propter eas historie seriem, & expressam Moysis sententiam, deserere debeamus. Moyses enim ait, perrexisse seu addidisse Abrahamum accipere uxorem: quæ verba præsupponunt prioris conjugis obitum, & cum concubitus cum Hagara vix illi à Sara, intuitu factæ promissionis, persuaderi potuerit, 1
2
3
credibile nequaquam est, illam vivente Sarâ & promissione iam impleta in Isaac atq̃ ita evidentissima πολυγαμίας causa

caussa deficiente aliam concubinam habuisse, praesertim cum Hagar una cum filio suo eieeta esset, & nullius praeter Isaacum & Ismaelem filij Abrahami in tota historia fiat mentio. 4
5

12. Primam enim & postremam rationem, quae ab inhonesto deduci videntur, unica sententia epistolae ad Hebr. cap. 13 refutamus, ubi dicitur, quod nuptiae sint honorabiles in omnibus: Si in omnibus, cur non in senibus, praesertim ubi vigor animi & corporis adhuc viret, quod in Abrahamo usu venit.

13. Ad emortuum Abrahami & Sarae corpus, quo ad generationem quod attinet, loquitur Apostolus de eo tempore, quod generationem Isaaci antegressum est: Deum autem peculiari beneficio & miraculo virtutem generandi in utroque parente excitasse res ipsa docuit. Vnde etiam Paulus Ismaelem dicit secundum carnem esse natum, hoc est, iuxta communem naturae cursum, vim & potentiam, Isaacum vero secundum Spiritum & promissionem, hoc est, secundum singularem Dei operationem, qua Spiritus sanctus per fidem in Abrahamo & Sarae efficax erat, Galat. 4. v. 23. Emortuum
Abrahami
corpus operat. one
peculiari Spi-
ritus sancti
dūvααip
ΥΕΥΥΚΤΙΚΗΥ
recipit.

14. Hoc enim opus Hebr. 11. v. 11. fidei manifestè adscribitur, & spei, qua credidit contra spem, Rom. 4. v. 18.

15. Atque ea vis diuinitus in Abrahamo excitata non ilicò expiravit, sed in extremam usque senectam perduravit, ut euentus comprobatur.

Quaestio tertia generalis et thetica de secundis, tertijs, quartis & nuptijs.

16. Secundas equidem nuptias olim sub pontificijs tenebris damnarunt, sicuti duo Canones Pseudoapostolici 17. & secundas Pontificij
nuptias da-
nant.

18. in eam sententiam loquuntur, & Gregorius Pontifex lib. 4. Decret. Tit. 21. idem decernit. Quem errorem etiam

etiam Hieronymus, & alij erraverunt, qui peccatum esse Hieronymus pronunciant post unius conjugis mortem alteram ducere.

Sobrior patrum plerumque sententia. 17. Modestior sententia est Epiphanius lib. 2. Tom. 1. her. 48. & her. 59. Tertulliani ad suam uxorem, Augustini de fide ad Diaconum cap. 12. qui secundas, tertias & quartas nuptias permissas & minimè prohibitas esse decernunt.

Junioribus iniuncte secundæ nuptiæ. 18. Paulus autem 1. Timoth. 5. junioribus viduis non modo concedit, sed etiam injungit: Volo igitur, inquit, juniores nubere, liberos parere, familiam administrare: Ac quod feminis precipitur, nulla ratione viris denegari potest.

19. Nec obstat, quod Pontificij locum in 1. Timoth. 3. obtendunt, temerè asserendo laicis hoc, non item sacerdotibus dictum esse, quos nimirum iuxta illorum mentem Apostolus velit unius uxoris viros esse, vel, ut ipsi interpretantur, fuisse. Nam & esse prohibent.

20. Nihil enim amplius vult Paulus verbis recitatis, quam Episcopo non competere $\omega\lambda\upsilon\gamma\alpha\mu\iota\alpha\pi$, (que Judæis & gentilibus in usu erat, ex $\kappa\alpha\kappa\omicron\zeta\eta\lambda\iota\alpha$ patrū,) ne quis duas tresve uxores simul habeat, quemadmodum Chrysostomus Homil. 10. in 1. Timoth. & alij interpretantur.

Genuina sententia Pauli in dicto 1. Tim. 3. 21. Ac nisi hac esset Pauli mens, quomodo possit Episcopus unâ defunctâ uxore maritus esse, quomodo domui suæ bene præesse, siquidem, teste Syracide, Oeconomia & res familiaris, carens matre familiâs, similis est horto vel vineæ, que septo caret, Eccl. 36.

Quæstio quarta de Kethura.

Kethura non fuit Hagar. 22. Sed progrediamur in consideranda Abrahami $\delta\epsilon\upsilon\tau\epsilon\gamma\omicron\gamma\alpha\mu\iota\alpha$. Sponsa proinde nominatur Kethura, quam Rabini per-

perperam existimant fuisse Hagaram, cum paulò post non
unius concubina, sed concubinarum fiat mentio, vers. 5. Et
lib. 1. Paralip. cap. 1. Ismaël disertè à filijs Kethurae concu-
bine distingvatur, quod non fieret, si ex eadem susceptus
fuisset, vers. 27. & 32.

Quæstio quinta de effectu & fru- ctu noui coniugij.

23. Non fuit autem hoc Abrahami conjugium sterile, sed fecundum, utpote ex quo Patriarcha intra paucos annos sex ^{Abrahami} filios, quinq; nepotes, & tres pronepotes suscepit, atq; ita ^{coniugium} imago fuit viri illius beati, qui Psal. 128 describitur: Vxor fecundum tua sicut vitis abundans in lateribus domus tue. etc.

24. Dicit autem Moyses, quod hi omnes ex Kethura orti in regionem orientalem iussu Abrahami secesserint, ubi ^{Quàm latè} est utraq; Arabia. Et Iosephus lib. 1. Antiquit. cap. 6. autor ^{diffusi a Ce-} est eos Troglodyticam regionem, & Arabiae felicis, quic- ^{thura genitū} quid ad rubrum mare pertinet, occupasse.

25. De Hephher seu Haphra nepote ex Midian idem testimonio Alexandri Polyhistoris affirmat, ab eo urbem Aphram & regionem Aphricam appellationem sortitam esse.

26. Cum itaq; Kethurae familia longè latèq; per Syriam ^{Kethurae li-} & utramq; Arabiam diffusa sit, & verò nullum relinqua- ^{beri circum-} tur dubium, eos juxta divinum mandatum Genes. 17. ut- ^{cisi & vera} pote filios Abrahami, circumcisos, inq; religionis cultu di- ^{religione in-} ligenter educatos fuisse, Ephes. 6. Inde liquet, Abraha- ^{butisua spō-} tum voti sui quod ipsum ad hoc conjugium impulerat, ^{te defece-} singulari cum laticia abundè potitum esse.

27. Quod

27. Quod autem illorum posterii desertâ verâ religione in superstitiones & idololatriam prolapsi, acerrimiq; hostes Ecclesie in hunc usq; diem effecti sunt, id non arcano et absoluto decreto Dei, qui per Abrahamum, per q; suos parentes eos vocaverat, & alioquin non vult quenquam perire, sed propriæ suæ ingratitude & protervia imputare debent, quemadmodum Osee. 13. dicitur: Perditio tua ex te Israhel. 2. Pet. 3. Ezech 18. 33.

28. Commemoratur insuper Moyses Abrahamum, quicquid sibi erat, nimirum in opibus supra cap. 12. v. 1. descriptis Isaac tradidisse, atque ita illum heredem ex asse instituisse: reliquis autem dona dedisse, & ab Isaac, se adhuc superstite, habitandi loco separasse.

Quæstio sexta de Testamento Abrahami.

29. Multæ sunt causæ, quæ pios parentes eò debent adducere, ut, dum rectè valent, mentisq; usum integrum habent testamenta condant. In primis quod domui suæ bene præesse, & domesticorum sedulam curam agere illos decet, in 1. Tim. 3. & 5. Et ne suis post obitum ad luctum, litigandi insuper materiam relinquunt, cum alioquin propter meum & tuum (quod in proverbio est) fratrum quoq; gratiarum sit.

30. Non injuria afficit Abraham Kethuræ & Hagaræ filios, inequali facultatum suarum partitione. Quandoquidem Deus ipse Isaacum nominat unicum Abrahamæ filium respectu nobilioris conjugij cum Sara, Genes. 22. v. 2. cui soli honorum juxta corporalium & spiritualium promissio dicata erat.

31. Etsi enim Hagara & Kethura ipse quoq; legitime fuerunt Abrahami coniuges (alioquin liberi ex illis nati non filij, sed

sed spurij & illegitimi censerentur & Abraham in scorta-
tione sub extremum vita terminum perseuerasset) discrimen
tamen est inter Saram & concubinas, non ratione ho-
nestatis, & juris, sed ratione dignitatis & hereditatis.

32. Ad hanc verò causam illa accedit multò euidenti-
or, quod Deus ipse Gen. 15 universa Abrahami bona Isaac
legari voluit.

33. Atq; ita Isaac hac etiam in re typum Christi gessit:
sicut enim ille omnes patris sui facultates obtinet; ita in
Christo secundum humanam naturam absconditi sunt om-
nes thesauri sapientiae & scientiae. Et datus illi spiritus est
non secundum mensuram, & donatum nomen super omne
nomen dataq; omnis potestas in caelo & in terra Colos. 2.
Johan. 3. Philip. 2. Matth. 11. & 28. Nos autem è plenitudi-
ne eius accipimus gratiam pro gratia, secundum mensuram,
quam unicuiq; distribuit spiritus, Ioh. 1. 1. Corinth. 12. Eph.
4. Perinde ut Kethura filij portionem ex Abrahamaa here-
ditate sortiuntur,

Isaac ὁ ἀλλο-
κλήρῳ
pulcherrimus
Christi ty-
pus.

Quaestio septima, de senectute Abrahamæ.

34. His transactis Abraham cum vixisset 175. annos ex-
spirans mortuus est in canitie bona, senio satur, & aggrega-
tus est ad populos suos.

35. Annorum numeratio in vitis Patriarcharum nos ad-
monet, uniuscuiusq; annos, menses & dies imò horas & mo-
menta ab omniscio Deo accurate observari, & antequam na-
scamur certò annumerari, inq; libro divina providentia a-
scribi, Iob. 14. Psal. 139.

36. Senectus bona Abrahami non tam in annorum nume-
ro, quàm in corporis animiq; perpetuo flore, & in primis in
vera pietate, patientia & reliquis virtutibus posita est, cuius-
modi erat Chalebi, filij Jephunna, Iosua 14.

37. Ac licet impij haudrarò eadem felicitate fruantur, & prosperè compleant tempus suum, de qua re Asaph Psal. 73. & Hiob cap. 11. conqueritur: Attamen longè alia est Abrahami & impiorum conditio, cum illi donis Dei pessimè ad libidinem suam abutantur, pij verò ad gloriam divini nominis & emolumentum Ecclesiae illis perfruantur.

38. Saturitas vita non sic accipienda est, qualis aliquando homines ex impatientia invadit, sicut sanctissimo quoq; Eliae accidit, cum diceret: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam &c. 1. Reg. 19. Sed cujusmodi fidelium est, qui postquam bonum certamen certarunt, cursum consummarunt, fidem retinuerunt ex hac palestra dimitti, cumq; Paulo dissolvi, & coronam gloriae accipere cupiunt, Luc. 1. Phil. 1. 2. Timoth. 4.

Quaestio octava, de morte Abrahamæ.

39. Moritur itaq; Abraham piè, placide & cupide, ut divino oraculo illi promissum fuerat, Genes. 15. v. 15. Et apponitur, ad populos suos, ut Moyses loquitur.

Quid sit
colligi ad
populum
suam.

40. Ea phrasis de sepultura cadaveris accipi non potest, cum cinis & pulvis anima carens nequaquã sit populus, neq; cadaver Abrahami ipse Abrahamus, cumq; Abraham corpore non ad cadavera maiorũ et popularium suorum, sed ad exuvias charissime sue conjugis in agro Hephronis solũmodo sit aggregatus, sepulturae respectu ad populos suos congregato dici nequit.

41. De animabus proinde fidelium patriarcharum, ad quas anima Abrahami collecta est, hoc intelligamus necesse est: Et alioquin Christus Matth. 22. Saduceis confirmat, Abrahamum vivere, ex eo, quod Deus vocatur DEVS Abrahæ, ac nisi viveret, quomodo anima Lazari in sinum Abrahami ab Angelis deportaretur, Luc. 16.

42. Et vera est Procopij sententia, qui ait: Cum Moyses Abrahamum & Jacobum dicit appositos esse ad populum suum; de

um; de Isaaco verò & Ismaele tradit, quod adiuncti sint ad genus suum, in utroq; perspicitur, Moysen aeterna vita & futuri seculi haud extitisse ignarum: Nemo enim his, qui non sunt, addi potest.

43. Etsi autem in veteri Testamento hac forma loquendi præ illa, quâ novum Testamentum utitur, cum fideles in Domino obdormivisse dicuntur, usitata fuit: Nulla tamen est ratio, quâ Pontificij hinc colligere queant, Abrahamum, Isaacum, Iacobum & reliquos Patriarchas in limbum Patrum devenisse: Sicut equidem Lyra perperam argutatur.

Quæstio nona, de sepultura Abrahami.

44. Mortuum Abrahamum sepeliunt Isaac & Ismael filij eius: reliqui enim longius aberant, ut funerationi interesse nequirent.

45. Ac cum Ismael unâ cum Isaaco paternum funus caret, inde non obscure colligimus, eum veræ religioni addictum fuisse: Alioquin enim Isaac ad hoc pietatis officium hominem impium, & ad resurrectionis ac aeternæ beatitudinis Symbolum, contemptorem eius nequaquam admisisset.

Ismael veræ religioni fuit addictus.

46. Condunt Abrahami exuvias in spelunca Macpela in agro Hephronis filij Zocharis Chettai, qui est è regione Mamra, agro videlicet illo, quem emerat Abraham à filijs Cheth, ibi sepultus est Abraham cum Sara uxore sua.

47. Quod Abraham eo in loco cum Sara sepeliri voluit, ubi ante annos 76. filium Dei cum Angelis hospitio exceperat, & promissionem acceperat, singulari consilio factum est, ut ostenderet, se fiducia promissi Messie hinc emigrasse.

48. Atq; insuper illud etiam pia ratione non caret, quod Abraham aliquandiu in eo loco tabernaculum suum habuit, ubi postea sepulchrum emit. Vita enim piorum perpetua debet esse mortis meditatio, ut sive vivamus, sive moriamur, Domini simus.

Philoroni⁹ 49. Idcirco Philoronium Galatam presbyterum tradit
habitat in Heraclides annos sex in sepulchris habitasse mortuorum, ut
sepulcris. semper meminisse posset, se mundo mortuum & vivere
Christo.

Quæstio decima, de familia Ismaelis.

50. Hactenus de Abrahami familia: Sequitur iam Ismaelis,
cuius filij enumerantur duodecim, qui principes fuerunt.

Cause cur
genealogia
Ismaelis
percenseatur. 51. Cause huius Catalogi à Moyse descripti tres præcipue
sunt: Prima, ut constaret promissionem Abrahamo & Ha-
gara de Ismaele factam minime cum Patre mortuam & ex-
tinctam, sed re ipsa impletam esse.

52. Deinde, ut potentia simul & benignitas Dei patefieret,
qui è serua & puero exule duodecim principatus excitare po-
tuit, Psal. 113.

53. Deniq; verò Hagarenorum genealogia eam quoque ob
causam annotatur, ut noverimus unde hostium Ecclesie, Tur-
carum & Saracenorum origo profluxerit. Nam & hi dictū
Christi crudelitate & sevitia sua adimplent: Inimici homi-
nis domestici eius, Matth. 10.

Nabathæi.

54. Primogenitus Ismaelis est Nebajoth, qui Nabathæis in
Petraja originem dedisse communi interpretum sententia
existimatur.

55. Et cum versus orientem ea regio sita sit, inde frequens
est apud prophanos scriptores Nabathæam pro orientali plaga
accipere, sicut Poeta dicit:

Apud Na-
bathæos ca-
pitate sancitū
fuit, si quis
parentibus
& præce-
ptoribus se
opponeret.

Eurus ad auroram, Nabathæaq; regna recessit.

56. Nabathæorum mores & consuetudines prolixè Diodo-
rus Siculus & alij describunt, atq; inter reliqua illorum insti-
tuta hoc inprimis patriarcharum pietatem representat,
& præcepto-
res apud illos capitalis fuit, ut Lutherus commemorat.

57.

Alter

57. Alter filius Ismaelis est Kedar à quo Cedareni, quorum frequens est mentio, 1. Paralip. 1. v. 29. Esa. 21. v. 16. & 42. v. 16. & 66. v. 7. Ecclesia verò novi Testamenti: Psal. 120. graviter conqueritur: Heu mihi quia inolatus meus prolongatus est, habito inter tabernacula Kedarenorum. Cedareni.

58. De reliquis Ismaelis filijs non opus est pluribus, illud in genere notandum, quod nec istis institutio in vera religione principio defuerit: Quod autem postea illam deseruerunt, ipsorum ignavia simul & petulantia factum est. Quapropter prorsus sunt ἀναπολόγητοι. Ismaelitæ initio verā religionem habuerunt.

59. Vixit Ismael 137. annos, deinde exspirans mortuus est, & aggregatus ad populos suos.

60. Ex qua descriptione mortis Ismaelis, quæ iisdem verbis à Moysse exprimitur, quib9 etiam obitus Abrahami descriptus fuit, certò colligimus, illum non damnatum, sed æternæ salutis participem factum esse. Ismaelis obitus.

61. Tametsi enim respectu externa prerogativa separatus ipse fuit cum sua posteritate ab Isaaco, ejusq; familia, ut certus esset populus, è quo venturus Messias expectaretur, Gal. 4. Nihil tamen hoc vel ipsius, vel posterorum saluti obfuit, quicunq; una eademq; fide in semen benedictum cum Abrahami Ecclesia crediderunt.

62. Ex quo etiam illud colligitur, Paulum, Rom. 9. in declarando mysterio æternæ predestinationis non ideò adducere Ismaelis & Isaaci exemplum, quod illum absolutè reprobatū & ab æterna beatitudine exclusum significare velit; Sed ut in typo perq; Allegoriam discrimen peculiaris populi Dei & aliarum gentium declaret.

63. Quàm latè diffusi fuerint Ismaelitæ Moyses indicat his verbis: Habitaverunt autem ab Havila usq; ad Sur, quæ est ante Aegyptum ingrediente te in Assur. Nam Havila ea est regio, quam circuit fluvius Pison, unus è quatuor fluminibus Havila.

Paradisi, Gen. 2. v. 11. Sur autem desertum est, seu pars Arabiae Petrae, à mari rubro usq; ad fines tribus Juda, Exod. 15. & 1. Reg. 15.

Quaestio undecima, de istis: cecidit in conspectu omnium fratrum.

64. Quod postremò ad ista verba attinet: in conspectu omnium fratrum suorum cecidit, variè illa interpretes accipiunt: Alij quidem de irruptionibus bellicis, quibus Ismaelitis grassati sint instar Gigantum, qui ab eadem voce Naphal, quae hic usurpatur, Nephilim nuncupati sunt.

65. Alij verò de violenta Ismaelis morte interpretantur, quasi in acie vel in venatione occubuerit.

66. Nonnulli etiam sic exponunt, quod ante fratres suos mortuus sit, & breviorē, quàm illi, vitam habuerit.

67. Sed cùm precedentia hujus versiculi, de habitatione Ismaelitarum loquantur, maximè concinnum est, ut verbum Naphal de eadem accipiamus. Et rectè monet Lutherus per singulare intelligi totam Ismaelis posteritatem, cui sors habitandi cecidit seu obtigit ex adverso reliquorum fratrum suorum, Isaaci nimirum & filiorum Kethurae.

68. Quapropter haec ipsa verba innuunt promissionem Hagaræ Gen 16. v. 12. factam, jam re ipsa impletam esse, & Ismaelis familiae singulari Dei beneficio propriam sedem, & non permixtam habitationis fratrum, nec longè remotam, sed in vicinia inq; conspectu sitam, contigisse. Est enim perfectò non postrema hujus vite commoditas apud suos familiares & amicos habitare: Sed illis tamen permixtum esse, quare dolus molestia non caret.

Quaestio duodecima, de domestica Ecclesia Isaaci.

Super-

69. Superest familia & domestica Ecclesia Isaaci, de qua
Moses sex observatu digna annotavit. Primo enim comme-
morat, Isaacum quadraginta annos natum connubium iniisse. I.

70. Rabinorum fabula est, quod fingunt, Isaacum ab im-
molationis tempore Deo consecratum fuisse, idq; votum sibi Isaac quare
obstitisse, quo minus vel Rebeccam citius duceret, vel, cum nuptias in
illam decem annis sterilem habuisset, aliam superduceret: quadrage-
Sed castitatis & abstinentia in patriarchis ea mora fuit in-
dicium, ut capite s. dictum est. simum annu
differat.

71. Deinde additur Rebeccam fuisse sterilem, in quo fidei
& patientia fuit δοκιμασία. Nam licet promissionem habe-
ret, nascituri è sua prosapia Messia, nihilominus Deus id-
ipsum, quod ultrò se daturum promiserat cap. 22, precibus
obtinere voluit. 2.

72. Tertio quòd Dominus ab Isaaco exoratus Rebeccam be-
nignè respexit, ut gemellos conciperet. 3.

73. Qui verò intra maternam alvum quasi conflictu quo-
dam inter se colli serunt & alter alterum conquassavit. Conflictus
Iacobi &
Esavi in u-
tero.

74. Neq; enim naturalem & usitatam fuisse embrionum
agitationem, ex eo liquet, quod mater sterilitatis probrum,
(quod tū temporis maximum, intra honestatis limites, habe-
batur,) sustinere, quam in hoc vite periculo versari mallet.

75. Quapropter Dominum vel per Abrahamum, qui ab eo
tempore quindecim annos superstes mansit, vel per Semum,
aut alium Patriarcham, vel etiam apud aram, mediante
sacrificio, consulvit. Vide Theodoretum quest. 75.

Quæstio decimatertia, de non erecto nativitatis themate.

76. Non enim ita stulta fuit Rebecca, ut de sobole sua
astra consuleret, licet Rabini, gloriam suæ gentis undecunq; cum fuisse
Rabini asse-
runt Isaa-
stræ astrologum.

aucupantes, Isaacum Astronomia scientissimum fuisse dicti-
tent, de qua re vide Lyram & Cedrenum.

77. Sed solum futurorum conscium Deum interrogandum
esse suo exemplo docuit. Vanissima enim & impietatis ple-
nissima sunt Astrologorum genethliaca, Esa. 41. v. 23. & 47, 14.
15. 16.

78. Cui sententiae candidum adiungunt calculum, Ambro-
sius lib. 4. Hexaem. cap. 4. Theodoretus in Genes. quest. 15,
Basilus homil. 6. Hexaem. Cyrillus in Iohan. lib. 5. cap. 5. &
in primis Augustinus lib. 5. de civit. Dei cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.
multisq. alijs.

Decimaquarta Quaestio, de difficili loco
Rom. 9. hinc adducto.

Vera senten- 79. Maximopere quarto loco observanda est oraculi re-
tia verbo- sponso, que sic habet: Dux gentes sunt in utero tuo, & dua-
rum, major nationes e visceribus tuis separabuntur, quarum natio una
serviet mi- robustior erit altera, & major serviet minori.
novi.

80. Hac verba non de Isaaci aeterna ad salutem predestina-
tione, & Esavi rejectione per se & simpliciter loqui multis
rationibus evinci potest: praecipue istis.

81. Principio enim nulla hic fit aeternae salutis & damna-
tionis, sed potentiae; dominationis, & servitutis mentio, quae
omnia corporalem & externam praerogativam concernunt.

82. Deinde iuxta quam, obsecro, Grammaticam servire
maiori significaret ad aeternam damnationem destinari?

83. Tum verò quia Isaac sobolem à Deo petijt, quis ita in-
sanus est, ut filium Gehennae illum sibi postulasse existi-
met?

84. Et cum Dominus preces parentis benignè exaudivisse,
foetumq. uxori largitus esse dicatur, eandem paternam benignitas
censenda foret, quae alioquin maeo eiusmodi perpetuum cor-
delium crearet?

85. Matri

85. Matri autem quid animi fuisset, si misera dolori suo remedium ab oraculo quærens nihil aliud, quàm istud cognovisset, se æternis cruciatibus destinatam sobolem diaboliq; mancipium utero gestare? quod equidem illam ignorasse longè fuisset melius.

86. Porro quandoquidem oraculum Esavi posteritatem complectitur, de qua nullo modo affirmari potest, universam esse damnatam, cum multi quoque ex Edomitarum gente æternæ salutis facti sint participes, inde liquet, non eum esse præsentis sententiæ sensum, quem Calviniani affingunt.

87. Quid autem fiet de Paulina interpretatione, qui sanè Roman. 9. hunc ipsum locum eò accommodat, ut demonstrat, non juxta dignitatem operum quenquam salvari, vel etiam damnari, sed secundum electionem & propositum seu consilium Dei.

88. Sic enim ait: Cum nondum nati essent, neque quicquam boni aut mali fecissent, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior serviet minori, sicut scriptum est, Jacob dilexi, Esau autem odio habui, Malach. 1. v. 2. 3.

89. Ad hanc equidem objectionem expedita est responsio, si scopum modumq; Paulinæ disputationis consideremus. Scopus est, quòd Apostolus omnem operum & meritorum fiduciam à negotio justificationis & æternæ salutis longissimè remotam esse vult, Rom. 8. 30, 31.

90. Modus concludendi est typicus & Allegoricus, à minori ad majus, hoc pacto: Si temporalia beneficia & prerogativa non dantur iis, qui sui generis, primogenitura, operumq; fiducia aut alijs rebus superbiunt, sed ex mera Dei misericordia & benignitate, multò magis æterna salus. Prius clarum est duobus exemplis: Vnum est Isaaci & Ismaëlis, alterum Jacobi & Esavi. Nam Isaaco & Iacobo dignitas illa, ut penes illos Ecclesia

Argumentatio Paulina
typica.

& promissio de venturo Messia unà cum reliquis prerogativis, de quibus prolixè Rom. 3. & 9, resideret, non ob merita, sed ex mera Dei gratia cōtigit, & Ismaël atque Esau cum suis posteris eadem eminentiâ privati sunt, licet primogenitura nobilitate rebusq; alijs præ fratribus insignes essent.

91. Quæ quidem arguendi ratio à typo & figura duorum populorum, qui ab Ismaële & Isacco nec non Iacobo & Esau descenderunt, non modo in præsentì loco, sed etiam Gal. 4. in negotio æternæ justificationis Paulo usitata est.

Fides ab æterna prædestinatione non est excludenda. 92. Quod autem Apostolus nequaquam velit ab æternæ prædestinationis decreto fidem excludere, illamq; absoluto Dei favore, absq; interventu meriti Christi, fide apprehensi, definire ex præcedente capite 8, & sequente 11. itemq; Eph. 1. & multis alijs locis manifestum est, ut illam rationem omittamus, quod nemo aliter ad æternam salutem prædestinatus sit, quàm sicut eandem re ipsa consequitur, quod non sit absq; fide Ioh. 3. & 6. Marc. 16.

93. Pari verò etiam ratione reprobationem Paulus nullam novit, nisi incredulorum, sicut de rejectione Judæorum Rom. 11. disertè dicit, illos incredulitate excisos esse. Ezech. 18. 33. 2. Pet. 3.

94. Quorsum autem, inquis, pertinent illa Pauli verba: Cum nihil adhuc boni vel mali egissent? Eò nimirum referenda sunt, ut opera & merita à justificationis & electionis negotio procul arceantur.

95. Interim tamen, quia fides non nostrum, sed Dei opus est, Ioh. 6. Phil. 1. v. 6. & 2. v. 13. & quia insuper illa in justificatione & electione nostra non tanquam opus, sed ut ὄργανον apprehensi meriti Christi consideratur, nequaquam hoc Pauli dicto, quod actiones solummodo & operationes excludit, removeri potest.

96. Sed quid de eo, quod Esavum, antequam aliquid mali egisset,

set divinitus odio habitum Paulus affirmat, an non hinc absoluta eius reprobatio evincitur?

97. Si vel maxime cōcederemus odium hoc de aeterna Esavi damnatione intelligi debere (quod tamen ob rationes supra commemoratas adversarijs largiri neutiquam possumus) non inde sequeretur, odium hoc fuisse absolutum, quod nullam in Esavo causam habuerit. Etsi enim nihil adhuc mali egerat, naturā tamen malus & incredulus erat, Eph. 2. In quibus autem incredulitas manet, illi ob hāc ipsam aeternae damnationi adjudicati sunt, sicut scriptū est Iob. 3. Qui non credit jam judicatus est, Et qui non credit filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipso. In quo dicto Augustinus id urget, quod Iohannes iram Dei manere dicit: Manet, inquit, non demum venit, quia non tollitur in qua natus est.

Incredulitas causa reprobationis.

Decima quinta quæstio de nativitate Iacobi & Esavi.

98. Quinto loco commemoratur à Moyse nativitas Esavi & Iacobi, quod videlicet gemini prodierint, & Esavus quidem rufus, qui color iram & furorem, iuxta Procopium, significat, totusq; insuper pilosus & hirsutus.

99. Post eum prodit frater ejus, qui calcaneum Esavi manu tenebat, unde etiam nomen Iacobi adeptus est.

100. In ista nativitate geminorum, qui non modo corporis habitu, sed etiam studiis planè dissident, imò contrarii sunt, notus obijcitur, Astrologis, quem solvere nulla ratione queunt, ut prolixè docet Augustinus loco supra commemorato.

Gemini simul cōcepti & nati totam astrologorum ματαλοτε- χνία π ε- uertunt.

101. Nam si cum Nigidio Figulo ad figuli rotam confugiant, & diversa momenta nativitatis, diversum horoscopum, eiusq; diversa effecta producere asserant, occurrit illis Gregorius Homil. 10. Evangel. qui sic ait: Cū Iacob de utero egrediens prioris fratris plantam teneret manu, prior perfectè nunquam egredi

gredi

gredi potuit, nisi subsequens inchoasset: & cum uno tempore eodemq; momento utrumq; mater fuderit, non una utriusq; vite equalitas fuit &c. Et porro: sed ad hoc solent Mathematici respondere, quia virtus constellationis in ictu puncti est. Quibus è diverso nos dicimus, quia magna est mora natiuitatis: Si igitur in ictu puncti constellatio permutatur, necesse jam erit, ut tot dicant fata, quot membra nascentium.

102. Omittimus illam rationem, qua à conceptione duci poterat. Etsi enim Latinus interpretes verba Pauli Roman. 9. $\text{\textit{\xi} \textit{\nu}\textit{o}\textit{s} \textit{\kappa}\textit{o}\textit{i}\textit{\tau}\textit{\eta}\textit{\rho} \textit{\xi}\textit{\chi}\textit{\sigma}\textit{\alpha}}$, perperã reddidit, ex uno cõcubitu habens, cum potius sic vertenda fuissent, quod Rebecca ex uno patre Isaaco uterum gesserit: Physicis tamen & Medicis testibus cõstat, geminos uno concubitu concipi, neq; feminas, ut Aristoteles loquitur, $\text{\textit{\xi} \textit{\pi}\textit{\iota}\textit{\kappa}\textit{o}\textit{i}\textit{\sigma}\textit{\kappa}\textit{\epsilon}\textit{\delta}\textit{\nu}}$, id est, superfatate. Plinius lib. 7. cap. 11. Aristoteles lib. 7. de hist. animal. cap. 4. & lib. 4. de generat. animal. cap. 5.

103. Postremum membrum huius narrationis est de diversis Isaaci & Iacobi studijs, in quo reliqua patent, præter primogenitura venditionem, in quo negotio Iacobum non juxta fraternæ dilectionis legem egisse quispiam existimare posset, nisi oraculi sententia à matre probè inculcata, & vanitas Esavi à Moyse prolixè descripta illum abundè tueretur.

F I N I S.

AB

52

9
549

ULB Halle 3
003 140 237




sb.

Wort







16

TATIO BIBLICA XXI
APITE, XXV


eseos , ad privatam
συζητησιν proposita.

De qua
D. O. M. A.
Præfide

ONE GESNERO, S.S.
IÆ DOCTORE ET PRO-
re publico, in Academia
Vitebergensi

: Aprilis Anno Christi 1599. respondebit

MON BLECHSCHMID
riensis Voitlandus,



VITEBERGAE,
batur Typis Meissnerianis,
M. D. XCIX.

